

6  
69

DISSERTATIO IVRIDICA,  
DE  
**PRAESRIPTIO-**  
**NE ANNIVORVM RE-**  
**DITVVM REALIVM,**


Quam  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,  
SERENISSIMO PRINCIP E AC DOMINO,  
**DN. PHILIPPO WILHELMO,**  
PRINCIPE BORVSSIAE, MARCHIONE BRANDENBURGI-  
CO, DVCATVS MAGDEB. GVBERNATORE, & reliqua,

IN ACADEMIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
**IVSTO HENNING. BÖHMER O,**  
**D. Prof. P. & Facult. iurid. Assessore,**

IN AUDITORIO MAIORI  
*d. 27 Febr. M DCC XI.*  
eruditorum examini submittit  
**JOHANNES GABRIEL HAACKE,**  
Nordling:

---

HALAE MAGDEBURGICAE,  
TYPIS CHRISTOPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.





DISSERTATIO  
DE  
PRAESCRIPCTIONE ANNVO-  
RVM REDITVVM REALIVM.

§. I.



On heri aut nudius tertius hæc de *Huius con-  
prescriptione annuorum redditum trouerse  
controuersia nata est, sed sub ipsis antiquis.  
iuris Romani reducti incunabulis  
iam olim in Italia magnis motibus  
agitata inter Martinum & Bulga-  
rum, & deinceps per aliquot se-  
cula ad vñque nostra tempora pro-  
pagata. Habuit vero hæc, quemadmodum plures aliae,  
illa fata, vt eius decisio magis ex numero Doctorum,  
quam rationum ponderibus, magis ex auctoritatis præ-  
iudicio quam tramite veritatis desumpta & deducta fue-  
rit, quasi communis error ius quoddam seu legem iu-  
dici præscribere posuit *I.37, ff. de LL.* Accessit præterea  
non leuis circa illam confusio plurium quæstionum,  
quæ rursus incertas peperit decisiones, vt proinde o-  
peræ pretium me facturum esse iudicauerim, si hanc  
controversiam denuo sub incudem reuocarem, & seposi-  
to omni præiudicio, illam secundam distinctas quæstio-  
nes examinarem. Faxit Deus feliciter.*

A 2

§. II.

*Quid sit annuus redditus.*

*ius differe  
rentia ab v-  
suris.*

§. II. Est autem *census* vel *annuus redditus* ius statuto tempore anno certam pensionem exigendi super rebus immobilibus alterius vel personali obligatione legitimo constitutum titulo. Rodericus de *annuis redditibus lib. 1. qu. 3. n. 4.* Ab *vſuris* varia ratione eos distinguunt, afferentes videlicet (1) *vſuram esse accessorium*, seu instar *mercedis* pro *vſu* pecuniae mutuo accepta, ut dicitur in *l. 58. ff. ad SCtum Trebell.* annum redditum vero debitum quoddam principale, imo ipsam mercem, cum pretio interueniente constituantur: (2) inde *vſuram* *vſurarum* quidem peti non posse, bene tamen *vſuram* *annuorum reddituum* a tempore moræ: imo (3) posse annuos redditus ultra alterum tantum exigi, secus ac *vſuras*, adeoque (4) illos esse fauorabiles & nulla tali iniuitate maculatos, qualem plures in *vſuris* finixerunt, adeo ut, prohibitis licet *vſuris*, haud tamen censeantur prohibiti anni redditus: (5) in mutuo *vſurario* tam *debitori* quam *creditori* permittam esse facultatem soluendi aut exigendi debitum; sed in annuis redditibus tantum *venditori* competere facultatem redimendi restituto pretio, non vero *entori* potestatam exigendi restitutionem pretii. *Ordin. Polit. de anno 1548. Carpz. P. 3. c. 24. def. 16.* (6) mutuum *vſurarium* esse præscriptibile, non vero annuos redditus, quod tamen est pomum illud Eridos, de quo hic agendum erit.

*Redditus annuus est vel realis.*

§. III. Est vero annuus redditus vel *realis* vel *personalis*. Illum definit Franzk. *lib. 1. resol. 2. n. 5.* quod sit *ius per interuenientem venditionem vel similem titulum ad transferendum dominium habilem super re immobili de sua natura fructifera certis finibus designata pro pensione annuatim soluenda fundatum seu constitutum*. Hac ratione seruitui aliisque oneribus reatibus comparatur, cum rem ipsam affi-

afficiat, eique perpetuo inhæreat, insimulque tertium possesseorem grauet, Carpz. lib. 5. ref. 98. n. 10. Franzk. lib. 1. resol. 3. n. 21. Hoc posito, etiam realem actionem de sua natura producere debet aduersus quemuis possesseorem, vbi Carpzouius cit. l. hypothecariam quidem eligit, alii tamen rectius *vitalem confessoriam* locum habere existimant. Quemadmodum vero *ius in re* nemo absque *quasi traditione* acquirere potest, ita recte inde inferunt, sola horum reddituum venditione *ius in re immobili* haud acquiri l. 20. c. de *paet.* sed quasi traditionem, quæ reali solutione annuorum reddituum de re immobili perficitur, accedere debere Franzk. lib. 1 resol. 11. n. 116. Lyncker. *de annuis redditib. diff. IV. §. 4. n. 21.* Ex quo per se fluit, a tertio possesseore hos annuos redditus exigi haud posse, nisi prius actor probauerit, realem solutionem post venditionem contractam accesisse. *Personalis* est, qui *vel personalis.* consistit in sola obligatione personæ promittentis certum redditum, non habito respectu certæ rei, Franzk. lib. 1. ref. 1. n. 51. quem tamen *palliatas usuras* esse, prudentiores iam dudum iudicartunt.

§. IV. De ipsa origine annuorum reddituum varie *Vnde ortum*  
sentiunt. B. Dn. Bornius *diff. de censu constitutio c. 2. §. 2.* hos census seu redditus iam cognitos fuisse afferit ante Iustiniani tempora, idque euinci posse arbitratur ex tot. tit. de annuis & menstr. legat. item de usufruct. & redditu legato. Imo ipse Iustinianus conceptis verbis mentionem annuorum reddituum facit in *Nou. 160. c. 1.* eosque ab usuris satis aperte distinguit. Modi autem constituendi hos census iuris Gentium sunt, adeoque ipsum negotium non demum iuri canonico aut moribus recentioribus adscribendum videtur. Evidem haud inficias ire possum, in iure Romano plura de annuis redditibus es-

A 3

se con-

## 6 DISSERT. IVR. DE PRAESCRIPIONE

se constituta, quæ analogiam quandam cum his, de quibus agimus, habent; ast tales annuos redditus, quales posterior inuenit hominum ætas, haetenus frustra in iure Romano quæsiueris. Vbi enim tales redditus annui, rebus immobilibus inhærentes, tertium & quemcunque possessorem grauantes, actionem realem producentes? Contrarium potius colligo ex *l. vlt. in f. ff. de contrah. emt. v.* vbi ICtus ita: *Lucius Titius promisit DE FVNDO SVO centum millia modiorum frumenti annua præstare prædiis Caii Seii: postea Lucius Titius vendidit fundum, additis verbis his: quo iure quaque conditione eo prædia Lucii Titii hodie sunt, ita veneunt, itaque habebuntur.* Quero an emtor Caio Seio ad præstationem frumenti sit obnoxius. Quodsi hic casus hodie ad decidendum proponeretur, parata foret responsio, emtorem esse obnoxium, quia *de ipso fundo* promissæ essent annuae præstations, & ita illas tanquam onus reale fundo inhærerere, & cum eo ad quemcunque possessorem transire. Sed Scœuola longe aliter respondet; *emtorem Caio Seio secundum ea, quæ proponerentur, obligatum haud esse.* Nec asseri potest, fusse tantum in proposita specie annum redditum *personalem* constitutum, non *reale*, id enim est, quod in contentionem venit, de quo queritur, vtrum *realis* census iuri Romano conueniat? Nam personalem censum facile admittere possumus, cuius etiam mentio iniicitur in *l. 7. §. 1. C. de prescript. 30. vel 40. ann.* Deinde in *cit. l. f.* expresse pactum ita erat constitutum, vt *de certo prædio* annua præstarentur, & tamen ICtus negat, tertium possessorem hoc onere grauari. Accedit quod hæc redditus annui præstatio de certo prædio *in faciendo* consistat, iure autem Romano talis seruitus in faciendo consistens non detur *l. 15. ff. de seruitut.* cum tamen

Dd.

Dd. censum realem seruituti æquiparare soleant. Idem  
infra §. XII. ex l. 12. ff. de ann. leg. viterius declarabitur.

§. V. Aliunde ergo natales *realium reddituum* repe-  
tendi sunt. Scilicet constat ex patrum antiquorum *corruptis ad*  
*placitis, vsuras esse prohibitas, & pro illicitis declaratas scribitur o-*  
*ex inani persuasione, saluatorem illas prohibuisse in rigo censu-*  
*verbis illis: mutuum date nihil inde sperantes, cuius con-*  
*trarium tamen eleganter & solide docuit Gerardus*  
*Noodt de fænore & usuris lib. 1. c. 5. & seqq.* Cum vero  
ita ditiones, maxime ipsæ ecclesiæ & monasteria hoc  
modo prohiberentur, lucrum ex pecunia sua quærere,  
in fraudem huius prohibitionis inuenta est *entio annuo-*  
*rum reddituum*, & hoc colore tandem admissa, quod em-  
tio venditio esset contractus licitus, & quod quilibet rei  
fænæ onus imponere posset. *Quod negotium cum val-*  
*de proficuum ecclesiis esset, a Pontificibus mox appro-*  
*batum est, unde non dubitarunt ICti, originem ex iure*  
*Canonico petere Franzk. lib. 1. resol. 1. n. 55. seqq.* Ius  
Canonicum enim occasionem præbuit, qua hi annui  
reditus introducerentur, & inde Martinus V. in c. 1. de  
emt. vend. in extr. commun. & Calixtus III. in c. 2. eod. hoc  
negotium opprobant tanquam antiquissimum non cer-  
to iure constitutum, sed rationabili consuetudine per  
tempus immemoriale & cuius initii non extet memo-  
ria obseruatum. Non opus fuisset, *consuetudinem alle-*  
*gare, si iure ciuili hi annui reditus cogniti fuissent.* Sunt  
itaque hi reditus vnicce inventi ad paliandas vsuras, quem  
in finem etiam in Recesibus imperii ad legitimam  
quantitatem vsurarum redacti sunt, vt vel exinde ap-  
pareat, nihil aliud nisi *fænus* sub illis latitare. Imo, si  
dicendum quod res est, longe deteriores sunt ipsis vsu-  
ris, & ita incauta & imprudenti prohibitione sua patres  
graui-

grauius malum in rempublicam introduxerunt, quod in usuris plane exulat, vt non inepte mihi dixisse videar, esse hos reditus *moribus corruptis* adscribendos. Hoc modo enim usurarum usuræ exiguntur, usuræ ultra alterum tantum in infinitum excrescunt, tertium possessorum grauant, inde lites ingentes ratione euictiōnis emergunt, & quod communiter volunt, nulla præscriptione immunitas ab iis speranda est. Sane Io. de Lugo *diss. 27. de censib. scđt. 2.* non inepte dixit, *annuum redditum re ipsa non differre a mutuo usurario, sed in solo nomine, quatenus non appellentur nomine mutui sed census redimibilis.* Sed his immorari nolo, cum sufficiat, pro statu controuersia rite formando, brevibus naturam annuorum redditum realium, de quibus vnicē ago, depinxisse.

*Status controvērsiae  
formatur.*

§. VI. De his itaque annuis redditibus *realibus* iam quæstio mouetur: annon immunitas ab illis ordinario tempore poscit præscribi a tertio maxime b. f. possesso-re, qui rem, antea hisce redditibus obnoxiam, bona fide vt liberam & imminunem emit, & longo vel longissimo tempore vt tales possedit? Non ergo quæstio hic est, de annuo redditu *personalī*, qui reuera mutuum constituit, & usurā tantum sub nomine annui census palliat. De illo enim communiter sentiunt, debitorem ipsum seu venditorem præscribere non posse, quod sciatis, se annuos redditus debere, & ita non soluendo in m. f. constitutus esse videatur; quæ de iure canonico & moribus excludit omnem præscriptionem *c. f. X. de præscript.* Ex quo etiam vulgo concludunt, mutuum a debitore per 30. annos præscribi non posse. Quamvis vero de hac sententia dubitari poscit, & argumenta solida in contrarium adsint, quæ erudite pro more excusit Ill. Dn. Cocce-

ANNIVORVM REDITVVM REALIVM.

Cocceius *de finibus bona fidei in praescript. de iur. can. sed.*  
2. & 3. nolo tamen in præsentiarum hanc litem facere  
meam, quæ a scopo mea plane aliena est, sed de *realibus redditibus* duntaxat disquiram. Vbi rursus non prin-  
cipaliter disquiram de ipso *venditore*, an & quatenus hic  
immunitatem ab illis præscribere possit; nam hic re-  
currunt eadem dubia, quæ iam tacta sunt: sed potius  
hic quæstio est vel de *berede* vel de *tertio possessore*, qui  
rem immobilem, antea redditibus obnoxiam, longo vel  
longissimo tempore per 30. vel 40. annis b. f. possede-  
runt. Denique etiam ab hac quæstione diuersa hæc est,  
an, qui longissimo tempore in minori valore solutio-  
nem fecerit, postea tutus sit exceptione præscriptionis,  
si vendor censum rursus in eo valore exigat, qui fuit  
tempore venditionis? Cum vero hæc quæstio princi-  
pali valde connexa sit, iisdemque fundamentis nitatur,  
postmodum etiam illam examinabo.

§. VII. Quod ergo principalem & primariam quæ- *Varie op-*  
*tionem de præscriptione immunitatis ab annuis redditibus nones Dd.*  
*realibus* concernit, in varias abierunt ICti opiniones. *de hac con-*  
Inter eos, qui præscriptionem excluderunt, ducem & *trouersia,*  
omnium præcessorem nominamus antiquum illum.  
glossatorem Martinum de Fano, collegam Irnerii, qui  
primus ad l. 7. S. f. C. de *praescript. 30. vel 40. ann. adstrue-* & quidem  
re conatus est, tot requiri præscriptiones, quoꝝ sunt an- <sup>(1)</sup> neganti-  
nuæ præstationes, siue ex legatis, siue ex contractibus  
descendant, & inde vna præscriptione immunitatem ac-  
quiri haud posse. Hunc postea certatim plures, imo si  
numerum respicias, plerique secuti sunt, eandemque  
cantilenam ingeminarunt. Inter hos ex antiquis plu-  
res recensentur a Boërio *decis. 336.* in quorum castra  
postea ipse abiit n. 4. Inuenit etiam Martinus multos

B

asseclas

asseclas ex recentioribus, vt Berlich. *P. 2. concl. 4.* Thesfau<sup>r</sup>. *decis. 114.* Gail. *lib. 2. obs. 73.* Bernh. Græue *lib. 2. concl. 73.* Grönnewegen *in LL abrog. ad C. ad l. 7. §. vlt. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* Myns. *cent. 3. obs. 13.* Klock. *vot. Camer. relat. 102. n. 62. & 132.* Stephan. Gratian. *tom. 2. discept. for. 399. n. 29.* Treutler. *vol. 2. disp. 22. th. 3. lit. 1.* Carpz. *P. 2. C. 2. def. 1.* Sande *decis. Fris. lib. 4. lit. 6. def. 2.* Bocer. *classe 5. disp. 22. th. 52. lit. q.* Coll. I. Arg. *hb. 22. tit. 1. th. 18.* Perez. *in C. de præscr. 30. vel 40. ann. n. 10. & 11.* Zœf. *ad tit. ff. de usurpat. & usuc. n. 44.* Io. Philipp. Lynck. *de reddit. ann. disp. 8. §. 11. n. 35.* Bronchorst. *cent. 4. assert. 5.* Borcholt. *de usur. c. 4. n. 36. seqq.* aliosque plures. Ab his non adeo recedere videntur, qui præscriptionem quidem admittrunt, sed ita ut non sufficiat, nihil per plures annos solutum vel exactum esse, sed præsupponi debeat, interuenisse factum negatiuum, h. e. vt dominus censum exegerit, censuarius vero contradixerit, & dominus huic contradictioni acquieuerit per l. 7. l. 10 quemadm. seru amitt l. 6. de seru. præd. verb. l. 4. §. 27. d. usuc. Ait vero, ait B. Dn. Bornius *de censu constitut. c. 7. §. 12.* si factum nullum negatiuum interuenerit, solus temporis lapsus ad ius censiticum perimentum non sufficit, licet vel 100. anni fluxerint.

(2) affir-  
mantium.

§. VIII. Sed collega Martini, eius tamen in plerisque opinionibus controuersis aduersarius, Bulgarus in cit. l. 7 in diuersas iturus partes sustinuit, vnam sufficere præscriptionem pro omnibus etiam futuris præstatutionibus, ex quounque titulo descendantibus, qui mox quoque asseclas suos ex antiquis inuenit, relatis a Boërio *decis. 336. n. 2.* & Berlich. *P. 2. concl. 4. n. 4.* Quin etiam Bulgarus patronos suæ sententiæ inter recentiores inuenit, non quidem tanto numero vti Martinus, sed fortioribus tamen argumentis instructos. Scilicet præ aliis

## ANNVORVM REDITVVM REALIVM.

II

aliis hic nominandi sunt Fridericus Martini *de iure cens.*  
*c. VIII. n. 157.* Bachouius *ad Treutl. vol. 2. diff. 22. th. 3. lit. i.*  
 Brunnemann. *ad l. 7. § 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. n. 8.*  
 vbi ait, in puncto iuris sibi placere opinionem Bulgari  
 & Bachouii. In hanc porro magis inclinant Hahn. *ad Wesemb. ad tit. de legat. ann. in f.* Hieronym. Schurff. *vol.*  
*1. conf. 10. n. 12. seqq.* Bernhard. Wurmser. *lib. 1. tit. 45. obs.*  
*5. n. 3. 8.* Petrus Friderus *de Process. mandat. lib. 2. c. 74. §.*  
*4. seqq.* Dn. Harprecht. *de præscript. immunitat. a collect. c. II.*  
*§. 7.* Dn. Lyncker. *cent. IV. decif. 303.* Neque ab hac sen-  
 tentia recedunt, qui distingunt inter *legata* annua, &  
 reditus annuos per *contractum* quæfitos; ita ut ibi qui-  
 dem multa sint legata; hic vero tantum una obligatio,  
 quam distinctionem fecuti fuere Ioannes, Azo, Accur-  
 sius, Oldradus aliique plures relati a Boërio *cit. l. n. 3.* &  
 Berlichio *P. 2. concl. 4. n. 13.* eamque communiter a Dd.  
 approbatam esse dicit Franciscus Balbus *de præscript. P. 4.*  
*part. 4. princ. quæst. 4. per tot. quam etiam defendit*  
 Hahn. *ad Wesemb. c. l.* Secundum horum sententiam,  
 itaque in reditus annuis realibus, *emtione* acquisitis, lo-  
 cus erit *præscriptioni* 30. annorum, cum hic tantum  
 una *præscriptio* adsit, non plures, vti in legatis. Hanc  
 sententiam manifeste approbavit Elector Saxonie *P. 2.*  
*C. 2.* vbi ita disponit: Wie woll eine schwere disputation  
 in rechten ist / num annuae præstationi in totum posit  
 præscribi? dennoch so haben unsere Verordnete dahin  
 geschlossen/ daß die jährliche Zinsen und præstationes, die  
 aus einer *usage* oder *Contract* ihren Ursprung ha-  
 ben/ so sie über rechts verwehrte Zeit nicht erleget/ kön-  
 nen veriahret werden/ nicht allein/ daß die verfeßenen  
 Zinsen nicht zu zahlen/ sondern auch daß die zukünfti-  
 gen nicht dürffen erleget werden. In verbis sequentibus

B 2

hæc

*Ius Saxonii-*  
*cum hanc*  
*sententiam*  
*approbat.*

hæc præscriptio quoque extenditur ad annua legata, de quibus plures antea dubitauerant. Non immerito itaque trahor in admirationem, quod nihilominus ICti Saxonie in diuersam tracti sint sententiam. Etenim Carpz. *def. 1. ad cit. confit. 2.* contendit, illam constitutio-  
nem haud pertinere ad annuos redditus redimibiles, sed tantum loqui de *accessionibus annuis & usuris*, quod aper-  
te textus ipse refutat. Facit ibidem Sereniss. Elector mentionem difficillimæ inter Dd. contentionis de hac  
materia, quæ vnice fuit circa præscriptionem *annuorum  
redituum, non usurarum*. Vbi enim de his contentio inter  
Dd.? Porro statum controuersiæ ita format: *num annue  
præstationi in totum possit præscribi?* His verbis exprimi-  
tur ipse status controuersiæ, quem hic expedire confi-  
tui. Porro remouetur distinctio a pluribus asserta in-  
ter annua debita ex *ultima voluntate & contradic.* Atque  
haec ipsa distinctio circa hanc controuersiam a pluribus  
allata est, vt, si dicendum, quod res est, non de alia  
quæstione decisionem Elector fecerit, quam de hac  
præscriptione annuorum reddituum. Vnde non diffi-  
tetur Berlich. *P. 2. concl. 4. n. 15.* Augustum Bulgari sen-  
tentiam approbasse, qui præscriptionem in annuis re-  
ditibus admisit, quod nec Carpzouius *cit. l. n. 2.* negare  
potuit, & tamen ambo quasi sui immemores in redditib-  
us annuis contrarium statuerunt. Sic enim etiam Ber-  
lich. *cit. l. n. 22.* *Tertio limitatur in redditibus & aliis præsta-  
tionibus annuis, quæ non simpliciter, sed sub pacto de retro-  
uendendo, sunt promissa, illæ enim ita, ut in futurum non de-  
beantur, præscribi non possunt.* At huius exceptionis nul-  
lam iniecit mentionem Augustus, imo propter hanc i-  
psam decisionem suam facere videtur. Nec quod *sub  
pacto de retrouendendo sunt promissa, rationem villam di-  
uersi-*

uersitatis arguit, quæ non quidem ab iis adducta est,  
nec adduci potest. Ex quo apparet, hos duos ICtos ma-  
gis præconceptæ opinioni inhærere, quam decisionem  
authenticam sequi voluisse. Hanc eandem sententiam  
quoque amplexus est Sereniss. Elector Colon. in Erz-  
Stifts Cölnischer Rechts-Ordnung tit. 16. vbi ita: *Alslonense.*  
Item ius Co-  
unter den Rechtsgelehrten unterschiedliche Meinungen  
sind/ob in iährlichen Renthen und Gefällen die Veriäh-  
rung platz haben könne/ so haben wir allen Anlaß zu  
Frrungen und Streitigkeiten vorzukommen/nöthig er-  
achtet/dieserwegen ein gewisses zu verordnen: weiln den  
die gemeine beschriebene/ auch fast aller Völker Rechte  
ihr absehen fürnemlich dahin richten/ daß in menschli-  
chen Handelungen endlich einmahl eine Sicherheit seyn/  
und niemand zu immerwehrender Sorg und Furcht des  
Seinigen stehen möge/ derienige auch/ welcher eine gar  
lange geraume Zeit mit seiner Forderung stillschweiget/  
seine Versäumnis niemand anders als ihm selbsten zu  
zumessen hat/ so wollen wir/ daß alle dergleichen iährli-  
che Renthen/ Zinsen und Gefällen/ in vierzig-iähriger  
Zeit/ wenn nemlich darunter keine Ansprach darumb ge-  
schehen seyn wird/ allerdings erloschen und getödtet sein/  
und der Schuldner alsdann ferner darum nicht ange-  
fochten werden soll. Eadem sententia quoque appro-  
bata est in *iure prouinc. Pruss. lib. 3. tit. 4. art. 4. §. 6.* vbi au-  
gustissimus legislator ita: *Ob aber iährliche Zinse und*  
*Pächte in totum ganz und gar können præscribiret oder*  
*veriähret werden/ ist eine schwere disputation in rechten.*  
*Wir lassen uns aber hierin deren Meinung gefallen/*  
*daß die iährliche Zinse und præstationes, welche aus*  
*einer Zusage oder Contract ihren Ursprung haben/*  
*so sie über rechts verwehrte Zeit/ als nemlich über 30.*

B 3

Jahr/

*Ius Bo-  
rusicum.*

Fahr / Fahr und Tag / nicht erleget / können veriahret und præscribitet werden / nicht allein daß die veressene Zinsen nicht zu zahlen / sondern auch die zukünftige nicht dürfen erleget werden. Welches auch in Testamenten und letzten Willen ohne Unterschied aus Kraft dieser unsrer Meinung/dieweil in rechten derowegen auch Zweifel gewesen/statt haben/und dergestalt/daß die Zinsen veriahret und præscribitet werden sollen / darauf dann unsere Gerichte hinführō zu erkennen und zu sprechen haben. Similiter P. I. Confit. March. 27. eadem hæc sententia approbata est his verbis: bey Rechte wird sehr zweifelhaftig disputiret/ ob Zinse und Pächte / ganz oder zum theil können præscribitet werden/als wenn ein Zinkmann in 30. Jahren keine Zinsen erleget / oder wenn man in 30. Jahren 5. Fl. Zins oder 18. Sch. Korn gegeben/da doch 6. Fl. oder ein Winspel Korn iährlich zu geben verschrieben worden/ und wiewol die Rechte disfals einen Unterschied machen untr den Contracten und Testamenten/ins Käyserl. Cammer-Gericht aber ohne Unterscheid gesprochen wird/ daß in obgesetzten Fällen keine præscription statt habe/ dieweil aber für richtiger angesehen/ auch in denen benachbarten Orten geordnet und gesprochen wird/ daß die iährige Pächte oder Zinsen so wol als die Haupt-Summe und Hauptschuld ganz oder zum theil innerhalb 30. Jahren veriahret werden können/ so lassen wir es auch dabey beruhen/ und soll in unserm Lande darauf hinführō gesehen und gesprochen werden.

*Fundamen-ta negatiu-sententia eruuntur. argum. I.*

§. IX. Tot tantisque motibus agitata est per aliquot secula hæc controuersia, cuius fundamenta in utramque partem excutienda sunt. Qui negatiuum tuentur sententiam, potissimum (1) se fundunt in natura annua-  
rum

& Marchi-  
cum.

rum præstationum, quæ hæc est, vt tot sint præstationes  
 quot anni, & ita singulis annis noua præstatio debe-  
 tur, vt speciatim de annuis legatis constat ex l. vn. ff.  
*quand. dies vñsr. ced. l. 4. ff. de annuis legat. l. 11. §. eod. l. 10.*  
*ff. quando dies legat. l. 12. & 20. eod.* Et quamvis stipulatio:  
*in annos singulos*, vna esse dicatur non multiplex in l. 16.  
*in f. ff. de V. Obl.* id tamen non putant ad omnes contra-  
 ctus, maxime b. f., extendendum, sed potius ad *stricti*  
*iuris negotia* restringendum esse. Inde porro inferunt,  
 quia tot sunt debita, quot anni, singulorum quoque an-  
 norum separatam esse præscriptionem. Imo nullam  
 hic faciendam esse distinctionem inter annua ex testa-  
 mento aut contractu debita, colligunt ex l. 7. §. f. C. de  
*præscript. 30. vel 40. annor.* qui textus a plerisque pro deci-  
 sione huius controversiæ adduci solet. Ita autem ibi-  
 dem disponitur: *In his etiam promissionibus vel legatis vel*  
*aliis obligationibus, quæ dationem per singulos annos vel men-*  
*sas aut aliquod singulare tempus continent, tempora memora-*  
*tarum præscriptionum non ab exordio talis obligationis, sed*  
*ab initio cuiusque anni vel mensis vel alterius singularis tem-*  
*poris computari manifestum est.* Ad corroborationem hu-  
 ius sententiæ etiam a Berlich. P. 2. concl. 4. n. 10. in f. ad-  
 dicuntr duo textus ex iure canonico, scilicet c. 6. de re-  
 lig. dom. c. 20. sub fn. de cens. qui tamen, cum nullum ido-  
 neum argumentum suppeditent, merito seponendi sunt.  
 Nouum vero (II) argumentum inde formant, quod in <sup>2. argumen-</sup>  
 annuis præstationibus præsentis anni debitum purum <sup>tum.</sup>  
 fit, sequentium autem in diem vel sub conditione colla-  
 tum l. 4. l. 11. ff. de annuis leg. Iam autem constat, quod  
 obligationibus in diem vel sub conditione non posse  
 præscribi, antequam dies venerit, vel conditio extiterit.  
 Ita enim Imperator Iustinus in l. 7. §. 4. C. de *præscript. 30.*  
 vel

vel 40. annor. Illud autem plus quam manifestum est, quod in omnibus contractibus, in quibus sub aliqua conditione vel sub die certa vel incerta, stipulationes & promissiones vel parata ponuntur, post conditionis exitum vel post institutae diei certae vel incertae lapsum præscriptiones 30. vel 40. annorum, quæ personalibus vel hypothecariis actionibus opponuntur, ini-

**III. argu.** tium accipiunt. (III) Hanc quoque Berlich. cit. l. n. 12. adm̄entum. dit rationem, quod præscriptio sine possessione haud procedat, debitor autem annuarum præstionum & futurarum in quasi possessione, libertatis scilicet, non sit, quam communiter eum demum impetrare posse volunt, si per denegationem census domino quasi possessionem sui iuris interuertit, quod eo ipso censeri factum volunt, si denegationi acquieuit. Dn. Born. de cens. Constit. c. 7. §. 12. Hanc enim interpellationem & subsecutam denegationem ut plurimum in præscriptione immunitatis ab eiusmodi præstationibus annuis requirunt Klock. de contrib. c. 16. saz. 2. n. 67. Matth. Coler. cons. 1. n. 274. Manlius de collect. tit. 7. n. 7. Magerus de aduoc. arm.

**IV. argum.** c. 14. n. 175. (IV.) Addit Carpz. cit. def. 1. inf. etiam hanc rationem, quod annuus reditus non sit accessorium ut vsura; sed ipsa fors aut merx, interim tamen non sit in rerum natura, antequam dies venerit. Quod autem non est, præscribi nequit. His addi posset, (V) quod decimæ quoque præscriptionem respuant, Berlich. P. 2. consl. 4. n. 24. Moneta de decimis c. 5. qu. 5. n. 105. quibus hi annui reditus non absimiles esse videntur, & consequenter eadem sub dispositione iuris comprehendi debent.

**Fundamen-** §. X. Hæc fundamenta adducta ita quidem compara-  
**ta sententia** fata sunt, ut applausum quendam mercentur; ut autem affirmatiæ plene conuincant, nullumque dubium relinquant, in-  
**adducuntur** idonea esse arbitror. Id ipsum autem eo facilius consta-  
**& proban-** bit,  
**tur.**

bit, si fundamenta affirmantium quoque adduxerimus,  
& responsiones ad contraria dederimus. Scilicet(1)con- Argum. (1)  
stat, omnia iura præscriptioni esse obnoxia, quæ non <sup>a</sup> præscri-  
expresse aut nominatim excepta deprehenduntur, quo <sup>ptione de-</sup>  
argumento in simili casu vtitur Dn. Harprecht *de præ- sumtum.*

*script. immun. a collect. c. 2. §. 2.* Iam autem hi reditus an-  
nui reales nullibi excepti a præscriptione leguntur; non  
in *iure civili*; huic enim plane incogniti sunt, vt ab ini-  
tio demonstrauit, nec cum illis annuis præstationibus  
comparari possunt, de quibus in *l.7. §. 6 C de præscript.*  
*30. vel 40. ann. agitur*, vti infra explicandum est. Nec  
*ius Canonicum* hic exceptionem facit, cum textus nullus  
idoneus decisius in hanc rem allegari posit. Neque  
porro *moribus* præscriptio hic exclusa est, quod vel sta-  
tuta in contrarium adducta demonstrant, & incertæ Dd.  
opiniones, supra adductæ, ostendunt. Nec *obseruantia*  
*iudicalis* constans & vniuersalis hanc sustulit, cum pra-  
xis Cameræ non sit praxis totius imperii, nec semper  
eandem sententiam foueat, cum plerumque mutato  
præside sententiæ mutentur, nec inferiora iudicia hu-  
iis iudicata sequi teneantur, sicuti nequidem camera  
Gailii & Mynsingeri sententiam ybique secuta est. vid.  
Lyncker. cent. 4. decif. 303. in f. Neque denique *ratio i-*  
*donea* adduci potest, ob quam præscriptio in hoc casu  
cessare deberet, cum tamen eadem fundamenta præ-  
scriptionis, quæ in aliis actionibus locum habent, hic quo-  
que occurrant. Cessante ergo exceptione, standum e-  
rit regulæ.

*§. XI.* Ipsa quoque (II) natura iuris, quod in rediti- II. Argumen-  
bus realibus adesse communiter afferitur, argumentum tum a natu-  
idoneum pro hac sententia suppeditat. Actionem enim ra actionis  
*realem* pro illis competere constat, quamvis in ipso *realis defun-*  
*gener* *tum.*

## 18 DISSERT. IVR. DE PRAESCRIPIONE

genere actionis non conueniant. Quidam enim *hypothecariam* indulgent, quasi pro solutione census hypotheca tacita sit constituta, quod defendit Carpzou. *lib. 5.*  
*resp. 98. n. 10. seqq.* Hanc si adsumimus sententiam, quis dubitabit, quin præscriptio posit locum habere, & confessorem intra 10. vel 20. annos liberare, cum tanto tempore actioni hypothecariae a tertio b. f. confessore præscribatur *I. 1. 2. C. si adu. cred. præscr.* quatenus per totum illud tempus rem possedit bona fide Meu. *P. 4. decis. 283.* vel si contra ecclesiam præscriptio opponeretur, tamen 40. anni in hac præscriptione sufficerent. Plerique tamen, & quidem fundamentis instructi melioribus, ab hac sententia recedunt, & pignus tacitum hic nullum admittunt, sed potius actionem *vitilem confessorię* contra tertium instituendam esse arbitrantur, quippe quæ locum habet toties, quoties ius quoddam singulare maxime in re alterius queritur. Frider. Martini *de iur. cens. c. vlt. n. 85. & 88.* Io. Phil. Lyncker. *de annuis reddit. disp. IV. §. 2.* Ius quippe illud annuorum reddituum rem ipsam immobilem afficit, eique inhæret instar alicuius seruitutis, & ita quoque cum re transit ad omnem confessorem. Hoc supposito, actio hæc eadem fatalia habet, quæ habet, si pro afferendis veris seruitutibus instituitur. Iam autem intra 10. vel 20. annos seruitus non vsu amittitur *I. pen. C. de seruit.* eousque etiam durat actio pro afferenda seruitute B. Dn. Stryk. *de act. inuest. Sect. III. m. 2. §. 10. seqq.* Quidni ergo confessoriæ actioni pro afferendo iure reddituum eadem hæc obstaret exceptio? Evidem si ex contractu ageretur cum ipso venditore vel eius herede actione personali, dubium hic forsitan aliquod moueri posset ex decantata *I. 7. §. 6. C. de præscript.* 30. vel 40. ann. Ast vero in confessoria simpliciter *ius in re*

*re* asseritur, hoc vero ita comparatum est, ut sua natura sit præscriptibile. Vnde dubium, quod singulis annis præstations annuæ renouentur & de nouo cedant, hic plane inconveniens est, vti infra explicabo.

§. XII. Imo, (III) quia dissentientes omne suum *III. argum.* fundamentum in *l. 7. S. 6. C. de præfr. 30. vel 40. ann. col-* *quod nequi-* locant, necessario quoque admittere debent, vt idem *dem ius in* ius ciuile contra eos retorqueatur, vel saltim ex iure ci*re produce-* uili ostendatur, hunc textum, plane ad *annuos redditus re posit de* *ire ciuili.* *reales* haud pertinere, sed eum tantum intelligendum esse de casu, si cum ipso venditore agitur. Ergo frustra de iure ciuili quæstio mouetur, an propter illam *l. 7.* annui redditus reales præscribi a tertio b. f. possessore posint. Hoc autem inde constat, quod tales annuæ præstations de iure ciuili nullum ius in re producant, aut rem adficiant. Id quidem iam §. IV. ostendi, sed alio textu aperto idem nunc quoque probandum est. Videlicet Paulus in *l. 12. ff. de ann. legat.* fatis euidenter hoc ostendit his verbis: *Caius Scius prædia diuersis pagis Meuiae & Seiæ legauit & ita cauit: præstari autem volo prædiis Potitrianis prædiis Lutatianis annua arundinis millia trecena & Salicis mundæ annua librarum singula millia: quero an id legatum defuncta legataria extinctum sit.* Si quæstio talis hodie proponeretur, omnes illam negarent, quod hic annuus reditus realis esset legatus, qui sua natura perpetuus est. Sed longe aliter *Ictus.* *Paulus respondit,* seruitutem iure constitutam non videri, neque in personam, neque in rem sed fideicommissi petitionem competuisse, cui prædia Lutatiana legata sunt, & ideo cum annua legata fuerint, mortua legataria, finitum legatum videri. Ergo exinde constat, talem annum reditum, licet de certo fundo relietus sit, fundum ipsum de iure ciuile non adficere.

Quodsi vrgeas, hodie tamen fundum tali annuo reditu adfici, & ita ex iure ciuili non posse hoc infringi; respondeo, me quidem id omnino admittere, sed ita tamen non posse dissentientes fundamentum suæ sententiæ querere in l. 7. §. 6. C. de præscript. 30. vel 40. ann. Hæc enim si vel maxime in eo sensu accipi debeat, prout communiter accipitur, non tamen tertio fundi possessori opponi potest, de quo plane nec loquitur, nec loqui potest, postquam de iure Romano non datur annuus reditus realis. Id quod si verum est, vti omnino est, præsidium omne dissentientium corruit, quia ad hunc textum in hac controuersia omnes tanquam ad sacram anchoram confugiunt, nullum tamen præsidium in eo habent.

*IV. argu-* §. XIII. Nouum (IV) argumentum mihi suppedita-  
*mentum a-*tatur ex ipsa seruitute, quæ etiam alternis annis consti-  
*seruitute al-*tui potest, sicuti etiam nihil prohibet, quo minus pos-  
*ternis annis fit* reditus realis alternis annis constitui. Et tamen Pau-  
*constituta* lus in l. 7. ff. quemadm. seru. amitt. non ea propter conclu-  
*desumpta.* dit, seruitutem talem præscribi plane non posse, sed  
tantum afferit, quod *duplicato constituto tempore amittatur.* Cur ergo annuus reditus realis certo tempore amitti non poscit? cur non etiam hic actio confessoria subiecta esset præscriptioni? Nec admitto rationem diuersitatis, quando afferunt, seruitutem esse indiuiduam vnamque, & consequenter annis alternis diem eius cedere non posse; nam, prout infra dicam, hoc in annuis reditibus aliter se non habet, sed semel tantum item dies eorum cedit.

*V. ab annis legatis ad contractum constitutis,* minime hoc applica-  
*contractus* ri possunt, quæ in iure de annuis legatis traduntur. In his

his enim plura esse legata constat; ast in annuis præstationibus ex *contraictu* quæsitis diuersitas in iure occurrat. Sic enim in *l.35. inf. de m. c. donat.* ICTus ait: *licitia.*  
*cet multa essent legata, stipulatio tamen una est.* Vnde concludit, eum, qui mortis causa in annos singulos pecuniam stipulatus est, non esse similem ei, cui in annos singulos legatum est. Sic etiam in *l.16. inf. de O. & A.* afferitur, quod stipulatio in annos singulos una sit. Quænam vero ratio diuersitatis hic subsit, infra §.XVII.  
*circa fin.* explicabitur.

§. XV. Addi etiam (VI) potest hæc ratio, quod et- *VI. Quod iam immunitas ab aliis præstationibus annuis præscriptio-*  
*nibus acquiri possit, in qua tamen maior difficultatis ab aliis an-*  
*ratio esse videbatur.* Sic immunitas a realibus colle- *ctis, quæ in annua præstatione etiam consistunt, qua-*  
*dragenaria præscriptione acquiri potest, quod satis eru-*  
*dite & fusissime demonstrauit Dn. Harprecht. tr. de præ-*  
*script. immun. a collect. Sic quarta decimarum & fune-*  
*ralium quadragenali præscriptione tollitur c. 4. X. de præ-*  
*script.* Responsio Berlich. *P. 2. concl. 4. n. 5.* nostram sententiam haud tangit, quippe qui de annuis redditibus realibus loquimur, cum tamen ille suam ad personales præstationes, seu actionem personalem ex promissione annuam restringat. Sic etiam immunitas a decimis eodem modo acquire præscriptione potest, vti infra dicendum erit. Et deniq; (VII) cur non posset immunitas hæc præscriptione acquire, cum ipse annuus redditus præscriptione in fundo alterius constitui posfit? Frider. Martin. *de cens. c. 3. n. 132.*

§. XVI. Sed non necesse est, tot argumenta coa- *Respondeatur ceruare. Si fundamenta contraria infracta sunt, res rationibus salua erit. Primum & principale fundamentum con-*  
*dubitandi.*

trarium petitum est ex eo, quod annuæ præstationes singulis annis de nouo cedant, & ita singuli anni nouam præscriptionem requirant, prout explicant l. 7. §. 6.

*C. de præscript. 30. vel 40. annos.* Sed hic varie responderi

*Reffonfio ad* potest. (I) iam §. XII. ostendi, cit. l. satis inconuenienter applicari ad annuos redditus *reales*, quoties contra de præscr. 30. tertium b. f. possessorem agitur. Loquitur textus vni vel 40. anno. ce de obligationibus, quæ dationem per singulas annos continent, & ita tantum ibi de termino a quo præscriptionis inchoandæ quæritur. Prōinde si cum venditore ipso res esset, ad hanc legem facilius recursus patet. Diuersa est ratio in tertio fundi, annuis redditibus obnoxii, possessore b. f. qui nullo modo obligatus est, sed qui tantum ob ius in re, quod hodie fingunt, præstare debet hunc censum. Huic facilius præscribitur, quam obligationibus l. 3. C. de præscr. 30. vel 40. ann. Successor singularis non præstat factum sui antecessoris, adeoque de iure ciuili hic nequidem præscriptione indiget, cum ipso iure tutus sit, consequenter l. cit. 7. ad huius decisionem allegari nequit. Imo (II) si vel maxime allegari posset, minime tamen in ea continetur decisio sententiæ contrariæ, vt eruditè ostendit Bachouius Vol. 2. disp. 22. th. 3. lit. I. Sollicitus tantum est Iustinus, vt ostendat *terminum a quo* præscriptionis, & inde definit, tempora in huiusmodi obligationibus non statim ab exordio talis obligationis computari debere: sic enim contingere posset, vt breui tempore exspiraret obligatio. Quid enim si debitor per 24. annos soluisset annuas præstationes, postea per 8. annos desisset, præscriptio completa foret, si statim terminus præscriptionis inchoandæ computandus esset ab exordio ipsius obligationis. Quod cum absurdum sit, inde Iustinus ait, inchoandam esse

præ-

præscriptionem ab initio cuiusque anni vel mensis, vel alterius singularis temporis, scilicet quo solutio facta non est. Ergo si ab initio primi anni non facta est solutio, statim currere incipit præscriptio. Non enim statim fieri debet solutio eo momento, quo contracta est obligatio, sed ab initio anni sequentis, vel conuentione determinati. Clarius explicat hoc Iustinianus in l. 8. in f. C. cod. aiens: exceptionem etiam 30. & 40. annorum in illis contractibus, in quibus usuræ promissæ sunt, ex illo tempore initium capere sancimus, ex quo debitor usuras minime persoluit. Sunt etiam usuræ annuae præstations, & ipsi redditus anni reuera tantum sunt palliatæ usuræ, atque adeo diuerso iure quoad præscriptionem censi haud debent. Præterea Imperator nullo modo afferit, tot esse debere proprias & separatas præscriptiones, quot sunt anni, id quod ne quidem ex verbis adductis colligi potest, vti contextus ostendit. Nam quod de initio *CIVIS QVE ANNI* dicitur, tantum opponitur *exordio obligationis contractæ*, vt ab eo computatio non sit inchoanda. Exemplo textum declaremus. Vendidit Meuius de suo prædio anno 1519. ecclesiæ B. M. V. pro 300. fl. annuus redditus 15. fl. & quidem d. V. Iun. nec tamen promissos soluit: quæritur a quo tempore sit inchoandus terminus præscriptionis? R. non a tempore venditionis contractæ, sed ab initio illius temporis, quo annuis redditus præstari debuit, nec tamen solutus est. Denique (III) Imperator eandem decisionem applicat ad legata annua, quæ tamen plura sunt, interim tamen eo ipso non semper multiplicatur præscriptio. Videlicet distinguitur, vtrum annua ad certum tempus sint relicta, an in perpetuum. Priori casu distinxere ICti, vtrum unum tantum legatum esset, in plures pensiones tamen diuisum,

*Quo sensu  
legata an-  
nua plura  
dicenda  
sint.*

sum, exonerandi heredis gratia, & hoc transmisibile ad heredes & vnum esse collegerunt. An vero alimentorum gratia singulis annis quid relictum; quo casu reuera plura legata, & singulorum annorum separatam præstationem esse censuerunt, adeoque primi anni *purum*, sequentium vero *conditionalis*; inesse enim eidem conditionem, *si vivat l. 4. f. de ann. legat. l. 20. f. quand. dies leg. cess.* cum alimentorum legatum ad vitam legatarii restrictum sit. Si legatum vnum est, veluti, *si 5000. thal.* legati sunt, ut singulis annis 500. thaleros vsque in decennium præstet, semel ab initio dies quoad totam summam cesit, & ita heredes quoque residuum petere possunt. Si vero pro alimentis 50. thal. vsque ad decennium legati sunt, singulis annis de nouo dies legati cedit, hoc effectu, ut legarius petitionem legati eius anni, quo vixit, consequatur, eandemque in heredes transmittere posit. Hoc casu itaque, quo primi anni *purum*, sequentium vero *conditionalis* erat, facile concedi potest, singulorum annorum propriam fuisse necessariam præscriptionem, quia in conditionatis dies legati non antea cedere poterat, quam dies adueniebat, qui incertus erat, & ita conditionem operabatur. Cum ergo adueniente die demum debere incipiebat, eo tempore quoque illius anni præscriptio currere debuit. Posteriori casu plane diuersum obtinere arbitror, quod maxime ad *annuos redditus reales* in perpetuum præstandos applicandum est. In his enim annuis præstationibus nulla inest conditio, ratione futurorum annorum, sed illæ *absolute* debentur, etiam quoad tempus futurum, id quod ex ipso contractu appetit, quo ius *purum*, rei inhærens, venditur, cuius effectus est, ut singulis annis *absolute*, non *sub conditione*: *si vixerit*, quid præstetur.

Male

*Annua legata non sunt plura si in perpetuum relictum sunt.*

Male his applicatur regula, *quod primi anni sit purum, reliquorum conditionale.* Quæ enim quæso conditio his ineit? quæ subintelligenda? nulla certe. Si dicas, sunt tamen *in diem collatæ.* Ast dies hic certus est, non suspensus ex futuro euentu incerto, nec ullam *conditionem* operatur, & consequenter in his non singulis annis cedit dies, sed statim ab initio *vna vice*, cum tale legatum *absolute purum* sit, & alias, quod in diem certum, qui deficere nequit, collatum est, ibi dies statim cedat, licet nondum peti posit, antequam venerit. Proinde quoque tale legatum cum absolute purum non tantum quoad *præsens*, sed etiam quoad *futurum tempus* sit, vna quoque præscriptione tolli potest. Denique non obstat, quod leges generaliter afferant, legatum annum non *vnum esse*, nam leges id supposuerunt, quod ordinarie fit. Ordinarie annua legata alimentorum causa relinquuntur *l. 20. ff. quand. dies legat. cedit* & inde, quando de *annuo* loquuntur, supponunt tale legatum, quod *ad vitam hominis relictum* est. Apparet id luculenter ex *l. 22. ff. de vs. & vsufr. legat.* vbi I<sup>C</sup>TUS ita: *Patrimonii mei redditum omnibus annis uxori meæ dare volo. Aristo respondit, ad heredem uxoris non transfire, quia aut ususfructui simile esset, aut HVIC LEGATO, IN ANNOS SINGULOS.* Ergo legatum *in annos singulos* ordinarie intelligendum erat de eo, quod ad heredes non transfiret. Ab hoc vero omnino diuersum est legatum annum, quod ad heredes transit, veluti quod hoc modo expresse relictum, vel sua natura tale est, quale est, quod ecclesiæ vel reipubl. legatur, quod conditionale nullo modo dici, sed vna præscriptione tolli potest. Quocirca dicendum videtur, de hoc potissimum Imperatorem in *cit. l. 7. es*se intelligendum.

*Respondetur ad argu-* §. XVII. Ex haec tenus dictis facile responderi potest ad argumentum contrarium secundum. Aiunt futu-  
mentum se- rum annorum redditum deberi sub conditione vel in diem  
cundum. certum, & consequenter ante diei & conditionis existen-  
tiam præscriptionem non posse inchoari. Liquidum  
id esse videtur ex l. 7. §. 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann. su-  
pra §. IX p. 16. relata, pro cuius explicatione duo ante  
omnia inquirenda sunt: (1) an in anno reditu reali  
aliqua adsit conditio: (2) an tempus certum, & quidem  
tale, de quo loquitur Iustinus.

*In annuo  
reditu reali  
nulla est  
conditio quo  
ad futuras  
præstationis* Quoad primum, omni-  
no nego, hic adest aliquam conditionem, cum annuus  
reditus realis rei inhæreat simpliciter, & non tantum he-  
redes, sed quosvis possessores stringat. Tunc tantum  
conditio annuis legatis ineft, quando ad vitam legatarii  
restrictum erat, quippe illa conditio, si vivat, subintel-  
ligenda erat. l. 4. de ann. legat. vnde necessario sequeba-  
tur, legata futuri temporis esse debere conditionata. Hæc  
conditio vero in annuis reditibus non subintelligitur,  
sed simpliciter ab omni possessore hoc ong præstandum est.

Inde apparet, quam incaute leges de annuis legatis lo-  
quentes hic allegentur a Berlichio aliisque dissentienti-  
bus, cum hic applicari nequeant, sed potius ex dictis  
debeat concludi, purum esse hoc debitum & sic semel ce-  
dere eius diem statim ab eo tempore, quo solutio fieri  
debeat l. 5. §. 1. quand. dies legat. Quod posterius atti-  
net, videtur omnino dicendum, hic ad minimum tempus certum admittendum esse; sunt enim, vt communi-  
ter sentiunt, hic plures præstationes, & singuli anni se-  
paratos redditus habent, nec singulorum annorum redi-  
tus peti possunt, antequam dies venerit, & consequen-  
ter singulorum annorum præscriptio antea currere ne-  
quit.

*In nomine dies  
qui differat  
præstatio-  
nem.* Sed qui ita philosophantur, semper adhuc sup-  
ponunt

ponunt, indistincte accipendum esse vulgatum illud: *annua legata esse plura.* Hoc vero falsum esse iam aliquoties dixi. Valet hæc regula de annuis, *ad vitam hominis relictis*, vbi plura legata esse dicuntur, quod sequentium annorum præstationes sint *incertæ*, & sub *conditione suspensæ*. Ast in legatis annuis, quæ *absolute*, *simpliciter* & *in perpetuum* debentur, diuersa est ratio; semel dies eorum cedit, & sic *vnum* tantum est *legatum*, quia hic nulla adest *conditio*, sed totum legatum *purum* est, licet plures & perpetuas præstationes contineat. Ideo legata *plura* dicebantur, quod singulis annis dies eorum cederet, idque vnicē ob *conditionem* subintelle- *Cur olim legata annua*  
*Etiam*: ast vbi nulla adest conditio, statim dies cedit, & *plura* dice-  
*quidem semel*, id quod appetet ex *l.s. §. i. ff. quand. dies bantur.*  
*leg.* Si post diem legata sunt *relicta* (veluti Titius post quadriennium Meui det centum) *simili modo*, ut in puris, dies cedit. Iam vero in puris cedit dies statim a tempore mortis & sic *semel* tantum. Ex quo fluit, idem quoque dicendum esse in annuis legatis, quæ *in perpetuum* durant. In iis nulla adest conditio, sed hoc modo relinquuntur, ut singulis annis in perpetuum aliquid præstetur, ergo horum dies statim *a morte testatoris* cedit, & sic *semel* tantum, adeoque non sunt plura, sed tantum *vnum* legatum, cum eius dies tantum *semel*, & quidem a tempore mortis cedat. Reuera enim tale legatum in *dies certos* præstandum relictum, & sic eius *præstatio* tantum differtur, non vero eius *acquisitio*. Hoc supposito, statim liquidum est, hic male applicari regulam vulgatam: *annua promissa plura esse*. Imo sicuti annum legatum perpetuum *vnum* est, ita quoque debitum annui reditus, fundo impositi, & quod omnes successores præstare debent, *vnum* est, non *multiplex*. Et inde

inde nata est differentia inter annum *legatum & promisum*

*Cur debi sum.* Hoc vnum esse dicitur in l. 35. in f. de m. c. donatum annu & l. 16. §. 1. de V. obl. cum annua legata sint plura. Ratio sum ex pro differentiae notabilis in cit. l. 16. traditur his verbis: *stmissione de pulatio huiusmodi, in annos singulos, vna est, & incerta* (quia pendens v infinitum tempus continet) & *perpetua* (cum in here-num sit.

*des transeat) non quemadmodum simile legatum morte legatarii finiretur.* Non potuit aptior ratio diuerfitatis dari.

Scilicet legata ideo plura sunt, quia regulariter morte legatarii finiuntur, & inde conditionem sua natura accipiunt hanc: *si vivat.* Ast promissio in annos singulos, *perpetua* est, in heredes transit, morte non finitur, & consequenter conditionem nullam subintelletam ha-

*bet,* & inde quoque vna esse debet. Quod si hæc ad annuos reditus per venditionem acquisitos applicaueris, res manifesta est. Scilicet eorum debitum *vnum* est, *incertum*, quia tempus infinitum continet, *perpetuum* & ita, ceu quidem in legato contingit, morte non finitur.

*Quamvis enim redimi poscit, id tamen non perse sed ex accidente contingit ob pactum adiectum, imo incertum est, an futurum fit, vt redimatur nec ne? ea autem quæ dubia & incerta sunt, vtrum sint perpetua an tempo-*

*ralia, intelliguntur esse perpetua Carpz. P. 3. c. 24. def. 3.* Iacob Schultes ad *Modest. Pistor. qu. 124. n. 67. seqq.* Bre-

uiter: male hic supponunt, in annuis redditibus totidem esse obligationes in diem, quod sunt anni, cum tantum *vna obligatio* adsit, & sic vna quoque præscriptione tolli possit. Quod enim plures præscriptiones requirant,

*An hic adsit debitum in id inde concludunt, quot plures sint obligationes. Præ-*

*diem certum terea prout Bachouius ad Treutl Vol. 2. diff. 22. tb. 3. lt. 1.*

*dilatum.* fatis accurate obseruat, dispositio l. 7. §. 4. cit. ad eas ob-ligationes pertinet, quibus *ab initio* adiecta est dies, sub qua

qua differantur. Hic autem in annuis redditibus non agitur de *differenda* solutione eius, quod debetur, sed *ine exigendi annuos* redditus venditur, quod *mercem* constituit, *vnam, simplicem*, non plures merces. Si singulorum annorum separatae præstations venderentur, tot quoque essent venditiones, quot anni, quia, iuxta contrariam hypothesis, noua obligatio oritur singulis annis, & ita noua merx esset, id quod absurdum. *Ius ipsum exigendi redditus* merx vna est; huius consequens vero ipsæ singulorum annorum præstations sunt. Breuiter ipsa *obligatio* pura est, imo *ius purum & simplex*, & eius tantum effectus in singulis annis sese exserit. Nam & obligatio ad usuras singulis annis præstandas itidem vna est, & vna præscriptione tollitur *l. 26. c. de usur.* Et hoc eo magis afferendum est in *realibus* redditibus, quæ non ex *obligatione*, sed ex *iure*, fundo inhærente, præstantur. Hoc non multiplicatur singulis annis, sed vnum est, semel que eius dies cedit, quia per contractum *acquisitum* est, & consequenter vna præscriptione amitti potest.

§. XVIII. Tertium fundamentum contrariae sententiæ lubricum est. Seruitutes solo non usus amittuntur, spatio decem vel viginti annorum. Nulla ibi posse *tertium argumentum*, sessio requiritur, quæ ex *interpellatione* seu *facto negativo* perfici deberet. Imo solus non-usus alterum in *libertatis* possessionem constituit, & haec sufficit ad amissionem seruitutis. Sane annui redditus reales ad instar seruitutum sunt, prædiis alienis inhærent, eaque afficiunt, & consequenter solus non-usus huius iuris amissionem operatur. Nec obstat, quod in *l. 6. ff. de S. P. V.* afferatur, ad amissionem seruitutum prædiorum urbano rum factum aliquod contrarium, quo libertas usucpiatur, requiri: nam a) hoc ad redditus reales applicari

D 3 nequit,

nequit, qui tam prædiis rusticis, quam vrbaniis inhæ-  
rere possunt. β) In seruitibus prædiorum vrbano-  
rum plerisque hoc ideo requiritur, quia hæc ad sui ex-  
ercitium supponunt aliquod *opus manufactum* in fundo  
alterius, veluti si foramen adsit in pariete vicini, si fene-  
stræ factæ sunt in eodem pariete &c. quamdui hæc non  
obturator vel obstruuntur, vestigium seruitutis meæ  
semper adest, & inde libertas præscribi nequit. Ast  
hæc nullo modo ad annuos redditus applicari potest, ad  
quorum exercitium nihil ædificandum vel faciendum  
est in alieno. Errorem hunc quoque Dn. Harprecht,  
*de præscript. immunit. a collect. c. II. §. 16.* animaduertit,  
ostenditque, factum negatiuum nullum plane requiri in  
huiusmodi præscriptione, sed solum sufficere, quod quis  
prædium liberum possedit, quam sententiam multorum  
Dd. suffragio corroborat, & §. 17. fundamentis his mu-  
nit: (1) nunquam in præscriptione hac maxime triginta  
vel quadraginta annorum, factum tale negatiuum re-  
quiri: (2) in præscribenda seruitute illud nullibi deside-  
rari (3) quartam decimarum & funeralium lapsu solo  
temporis præscribi.

*Respondeatur ad quartum & quintum argumentum.* §. XIX. Quartum argumentum parum vel nihil  
distat a secundo, & inde eandem recipit responsonem.  
Quintum vero maxime dubium est. Quamuis enim  
Berlichius immunitatem a decimis præscribi non posse  
statuat, contrarium tamen recte asserit Richter. *P. 1. de-  
cif. 21. n. 50.* idque præiudicio confirmat. Idem confir-  
mat Carpz. *P. 2. C. 2. def. 4.* quamuis spatium quadragin-  
ta annorum ad hanc præscriptionem requirat.

*De tempore bnius præ-* §. XX. Eiuscta præscriptione annuorum redditum re-  
alium, supereft ut inquiramus, quo tempore hæc præ-  
scriptionis scriptio perficiatur. Evidem plerique, qui præscripti-  
onem

oneim hic admittunt, triginta annos requirunt, quemadmodum etiam statuta supra adducta, longissimum tempus desiderant. Ast quia *confessoriam vitalem* hic largiuntur, putarem ei idem tempus praefixum esse, quod directæ, vt scilicet decem vel viginti annis immunitas hæc præscribi poscit, Lyncker cent. 3. decis. 303. in f. nisi contra ecclesiam agatur, quo casu 40. anni necessarii sunt. Quod longissimi temporis præscriptio a plerisque desiderata fuerit, in causa esse videtur, quod plerique viderint, mutuum usurarium sub hoc iure latitare. Interim tamen cum hic non in *personam* eo nomine agatur, sed in *rem*, conueniens præscriptio eligenda est. Evidem de bonæ fidei possessore hic tantum status controuersiæ formatus est; interim quin idem quoque obtineat, si vel maxime possessor sciat, fundum suum annuis redditibus obnoxium esse, existimarem, quia sufficit, quod dominus census suo iure non-*vñ* excidat, l. 4. §. 27. de *vñsp. & vñse.* vid. Thomas Grammaticus *decis.* Neapol. 100. n. 23. Io. Petrus Surdus *consil.* 234. n. 29. Et quamvis de iure canonico in omni præscriptione *bona fides* requiratur, & *mala fides* excludatur, hæc tamen proprie tantum consistit in *scientia rei alienæ*, quam tamen quis *vt suam possidet*. Nuda scientia, fundum suum servitibus vel aliis oneribus esse obnoxium, eam minime operatur, cum nihil rei alienæ possideat. Conf. Dn. Cocceius *de finib. bon. fid. in præscript.*

§. XXI. Cæterum hæc tam diu obtinent, quam- *Potest sicut*  
diu statutis locorum aliud haud constitutum est. Iam *tuis contrac-*  
enim supra adduximus varias locorum ordinaciones, *rium deter-*  
secundum quas præscriptio in plures annos extensa est. *minari.*  
Imo etiam præscriptionem ordinariam per huiusmodi  
ordinaciones plane tolli posse, nemo negabit. Vide-  
tur

tur id ipsum factum esse in *Ordin. Magdeb. Polit. c. 52. §.*  
*an hoc fa-* 7. *vbi ita cautum est: Die Forderung fünfjähriger Gefäls-*  
*etum sit in* an iährlichen Renthen / Zehenden und dergleichen / kan  
*Ordin. Mag-* durch keine Verjährung aufgehoben werden / anerwo-  
*deb. Polit.* gen die Schuldigkeit des Besitzers / welcher zu Abge-  
**bung solcher Gefälle verbunden / mit ieden Jahre er-**  
**neuert wird / dreißig und mehr Jährige resta aber sol-**  
**len der Verjährung halben nicht gefordert werden. Duo**  
**in hoc textu disponuntur: (1) futuris redditibus præscribi**  
**haud posse: (2) præteritis autem, vltra 30. annos debi-**  
**tis, præscriptum esse. Quoad prius membrum, verba**  
**ordinationis huius non adeo perspicua sunt, vt ad ca-**  
**sum præsentem, de quo status controuersiæ formatus**  
**est, applicari tuto possint. Loquor de tertio b. f. pos-**  
**sessore, qui rem talem vt immunem per plures annos**  
**possedit, cui ratio adductæ ordinationis haud conuenit.**  
**Ratio exclusæ præscriptionis hæc est: anerwogen**  
**die Schuldigkeit des Besitzers/ welcher zu Abtrag**  
**solcher Gefälle verbunden/ mit ieden Jahre erneu-**  
**ert wird. h. e. quia singulis annis de nouo obligatio**  
**hæc renouatur eiusque dies cedit, vt tot sint obligatio-**  
**nes, quot anni. Hæc ratio docet, potissimum hic ser-**  
**monem esse de ipso venditore & eius heredibus, qui ex**  
**contractu obligantur, vt de fundo suo quotannis aliquid**  
**præstent, vel vt dicitur in l.7. §. 6. C. de præscript. 30. vel**  
**40. ann. de obligationibus, quæ dationem habent per singulos**  
**annos, vt ius Magdeburgicum vnicē legem illam septi-**  
**mam referre, & controuersiam occasione eius ortam,**  
**decidere videatur. Ratio enim decidendi ex obligatione**  
**desumitur, & consequenter non aliis supponi potest**  
**casus, quam de tali possessore, qui ex facto suo obliga-**  
*ius*

*tus* est ad annum reditum soluendum. Ad hunc quadrat ratio prædicta, quia eius obligatio ex *ordinationis dispositione* potest quotannis renouari, vt tot sint uoxæ obligationes, quot anni. Ast hæc omnia tertio bonæ fidei possessori minime conueniunt. Hic non obligatur ex facto antecessoris sui, & ita quoad hunc dies obligationis quotannis de nouo cedere nequit. Annuus reditus quidem exigi potest etiam a tertio b.f. possesso-re, quatenus tanquam *ius quoddam in re* fundo ipsi inhæret, & ita cum ipso ad eum transiit. Præstat hoc onus non ex *obligatione*, sed ex inhærente *iure in re*, ex quo nulla *obligatio* nascitur, & sic in eius persona hæc renouari quotannis nequit. Si nulla obligatio in tertio possesso-re, eius dies quoque quotannis cedere nequit, & ita, non obstante ordinatione politica Magdeburg., tertius b. f. possessor immunitatem ab hoc onere præscribere potest. Non ita ipse possessor venditor eiusue heres, cum vterque ex contractu *obligetur*, & sic dies *obligationis* quotannis cedat, secundum dispositionem huius ordinationis. Obstat tamen, quod in sensu im-proprio & vulgari etiam quilibet possessor obligatus, & quidem ex iure in re, dici posfit, quemadmodum Grotius *obligationem ex dominio statuit*. Sed (1) ad talem obligationem minime applicari potest phrasis vulgata ex Romano iure desumpta, *quod dies eius cedat hoc vel illo tempore*, quippe quæ præsupponit obligationem proprie dictam *in diem dilatam*: (2) obligatio improprio talis non est obligatio, & ita nec eius dies cedere potest. (3) Si tertius possessor hic obligatus esset proprie, non *actione confessoria*, sed *in personam* conueniendus esset. Ast vero omnes ad vnum afferunt, tertium fundi, re-

ditibus obnoxii, possessorem actione personali conueniri non posse, quo posito, nulla quoque obligatio erit in tertio possessore. (4) Notanter in hac ordinat. bina vice repetitur *obligationis* mentio, vnde tota decidendi ratio desumta est: die **Schuldigkeit des Besitzers**/ welcher zu Abgehung solcher Gefalle verbunden. Non ergo de alio loquitur possessore, quam qui *obligatus* est ad præstandum censem, qualis tantum est vendor, vel eius heres, imo etiam tertius, qui scienter talem fundum emit, & ita in hanc præstationem consensit. De tertio b. f. possessore minime asserere possum, quod ex *obligatione* præstet hunc censem, sed potius quod ex *iure rei cohærente* hic ab eo exigatur, quod tamen quotannis non renouatur, sicut obligatio. Quod autem non est in tertio b. f. possessore, id nec quotannis renouari, nec eius dies cedere potest. Quæ interpretatio cum iuri communi congruat & ab æquitate commendetur, merito recipienda est. Quid enim durius, quam tertium b. f. possessorem nullo tempore posse immunitatem impetrare, & ita alieno prægrauari facto? Quid iniquius, quam hoc casu omnem præscriptionem cessare, quæ in iuribus maioris momenti tollendis obtinet? Præterea ita facilius in concordiam reduci possunt tria illa iura Prusicum, Marchicum & Magdeburgicum, quæ felici sub sceptro Regis Borussiæ in terris licet diuersis florent.

*De præscriptione redditum præteriorum.* §. XXII. Pergo ad alterum membrum de præstatione *redituum præteriorum*. Hoc enim ex adducta ordinatione satis liquidum est, in quo casu præscriptio futurorum cessat, ibi quoque præteritos a triginta annis peti posse, non vero ultra. Inde rursus patet, hoc vice

nice ad eum, qui proprio loquendo *obligatus* est, restringi debere, quippe contra quem *præscriptio 30. annorum* currit *l. sicut 3. c. de præscript. 30. vel 40. ann.* Cum tertius possessor *obligatus* non sit, ei hæc *præscriptio* applicari nequit. Qui enim a futuris liberatus est, a *præteritis* quoque immunis esse debet. Interim tamen etiam hi, qui omnem *præscriptionem* etiam ratione tertii b. f. possessoris excludunt, eumque etiam ad *præteritos* reditus soluendos adstringunt, temperant hanc sententiam, vt ad *præteritos* non teneatur, si per creditorem stetit, quo minus ab anterioribus pensiones solutæ fuerint, vt si potuisset exigere & non exegit; mora enim creditoris tertio b. f. possesso *obesse* nequit. *Surdus decis. 32. n. 9. Rodericus de ann. reditibus lib. 2. qu. 22. n. 42. Franzk. lib. 1. ref. 3. n. 12.*

§. XXIII. Ne vero nihil intactum relinquamus, *Quid in an-*  
*merito quoque illam quæstionem hic excutiendam esse* *nuis rediti-*  
*bus præscrip-*  
*tio immemoriæ o-*  
*peretur.*  
*existimo, an non in illis locis, vbi in annuis reditibus*  
*præscriptio, etiam ratione tertii b. f. possessoris exclusa*  
*est, ad minimum præscriptio immemorialis immuni-*  
*tatem ab hoc onere operetur? Quod adfirmant pleri-*  
*que ex iis, qui contrariam tuentur sententiam, quor-*  
*sum etiam eos retero, qui existimant, quando centum*  
*annis continuis solutio cessasset, immunitatem plenam*  
*inde redundare posse, quod defendunt Rein. Budeli-*  
*nus de monet. & re nummar. lib. 2. c. 4. n. 10. Valascus consult.*  
*49. n. 10. ICti Altorff. confil. 88. Faber in C. lib 7. tit. 13. def.*  
*19. Boërius decis. 337. inf. Constat enim, quod plures*  
*ex ICtis antiquis centenariam præscriptionem & imme-*  
*morialem pro iisdem habeant, quod quamvis asseri ne-*  
*queat, cum immemorialis præscriptio certo annorum*

lapsu non contineatur, liquidum tamen inde est, quod immemorialem præscriptionem admittant. Inde satis eleganter *in Ordin. Magd. Polit. c. 52. §. 2.* dicitur: Und ob woll ins gemein die undenckliche Zeit mit der hunderiährigen verglichen / und die præscriptio immemorialis mit der Centenaria vermenget werden will / so sind doch diese der bewehrtesten Rechts-Lehrer Meinung nach von einander mercklich unterschieden / sintemahl durch das tempus immemoriale kein anders verstanden wird / als da niemand wisse / gedenke noch von andern gehöret und erfahren / daß ein Ding entweder in solchem / oder einen andern Zustande gewesen / als es sich zur Zeit des erhobenen Streits befunden / und also die Verjährung einer undencklichen Zeit / zumahl nach ißiger Beschaffenheit des menschlichen Lebens auch unter hundert Jahren zu verstehen / und zum höchsten auff 70. oder 80. Jahr zu erstrecken. Sic itaque secundum hanc ordinationem ad præscriptionem immemorialem annuorum redditum nequidem centum anni essent necessarii, sed sufficeret, si intra 70. vel 80. annos nihil exactum foret. Similiter hanc præscriptionem immemorialem hic admittunt Godofredus Anton. *in aduers. ad Gail. lib. 2. obs. 73.* Schurff. *cent. 1. conf. 10. n. 12.* seqq. Balbus *de prescript. P. 4. part. princip. qu. 4.* Confirmat hanc sententiam optimis rationibus Faber *cit. l.* vbi ita: *credendum est, tam longi temporis decursu intercidisse multas probationes earum rerum, que mediis tempore obligationem adeo vetustam vel solutione vel pacto contrario, vel quo alio legitimo modo dissoluere potuerunt.* Quis enim litium erit finis *si post tot annos turbare omnia liceat,* veteresque actiones sive remissas sive omissas repetere aduersus

sus

*sus cum, qui longo iustius posuit alieni facti probabilem ignorantiam obtendere?*

§. XXIV. Atque hæc sententia eo minus dubii Prescriptio-  
habebit, si naturam *præscriptionis immemorialis* paulo pe-nis imme-  
nitius excutiamus. Dici hæc alias in iure solet *VETV- morialis na-*  
*STAS l.1. §. 23. l.2. pr. l.f. ff. de aqu. & aqu. pluv. arc.* cuius tura & rai-  
*non extat memoria l.2. §. 4. l.3. §. 4. l.23. eod.* Hæc quid  
operetur videndum est. Scilicet aliae *præscriptiones*  
vel operantur exceptionem vel acquisitionem dominii  
aliusue iuris. Eundem effectum vulgo tribuunt *præ-*  
*scriptioni immemoriali*, de quo tamen dubito. *Quin*  
potius existimo, vetustatem hanc, vbi initii non extat  
memoria, validissimam inducere probationem, eum  
optimo iure & titulo esse munitum, qui in eo se fundat.  
Non *nouum ius* hac *præscriptione* acquirere intendit, sed  
iam olim antecessores suos ius libertatemque acquisi-  
uisse allegat, qui in ea se fundat. Nec tenetur hoc  
probare, quia vetustas tanta est probatio validissima,  
ex qua urgentissima *præsumtio* libertatis olim impe-  
tratae fluit. Quando ergo ultra centum & plures an-  
nos annuis reditus haud est solutus, redemptio eius o-  
lim facta inde tam efficacissime *præsumitur*, vt eam  
probare haud teneatur, sed potius ex hac vetustate per  
se colligatur. Imo licet emtor instrumentum emtio-  
nis adhuc in manibus habeat, inde quidem colligitur,  
olim factam fuisse venditionem, sed vetustas & lapsus  
tanti temporis simul ostendit, per redemptionem olim  
fundum liberatum fuisse. Atque hæc *præsumtio* tam  
efficax est, vt allegans vetustatem relutionem proba-  
re non teneatur. Hoc sensu intelligo ICtos, qui tan-  
tam huic vetustati vim tribuunt. ICtus enim in *l. 26.*

## DISSERT. IVR. DE PRAESCRIPIONE

38  
*ff. de aqu. & aqu. pluv. arc.* notanter ait: *Sæcula respondit,*  
*solere eos, qui iure dicundo præsunt, tueri ductus aquæ, qui-*  
*bis auctoritatem vetustas dedit, et si ius non probaretur, h.e.*  
*qui lapsum tanti temporis pro se habet, pro eo est vr-*  
*gentissima præsumtio, quod olim seruitus titulo legitimi-*  
*nem sit constituta, adeo ut propter hanc præsumtio-*  
*nem non teneatur titulum probare. Sæpissime con-*  
*tingit, ut quis ius optimum habeat, illud tamen pro-*  
*bare non posit, quales probationes ut plurimum tan-*  
*to temporis lapsu intercidunt, per varias temporum*  
*iniurias, per mutationes possessorum, qui iuste facta*  
*suorum antecessorum ignorant. Vnde optima ratione*  
*collegerunt Icti antiqui ob tantam vetustatem ab one-*  
*re probandi possessorem liberari, quippe quæ præsumtio-*  
*nem iuris violentam operatur. Hunc in sensum et-*  
*iam accipio Pomponium in l.3. §. 4. f. eod. *Ductus aquæ,**  
*cuius origo memoriam excesit, iure constituti loco habetur,*  
*h. e. præsumitur, quod ab initio iure constitutus sit, ut*  
*nulla probatio tituli requiratur! Porro Vlpianus in l.1.*  
*§. 23. eod. eundem in sensum philosophatur: si lex agri*  
*non inueniatur, vetustas vicem legis tenet, seu ex vetufa-*  
*te colligitur per se titulus, quo ab initio seruitus legitimi-*  
*me constituta præsumitur. Breuiter vetustas ipsa seu*  
*lapsus tanti temporis inducit non tantum titulum iuris*  
*optime olim constituti, sed etiam operatur, ut posses-*  
*tor releuetur ab onere probandi.*

*Illustratio  
buius mate-  
rie.*

§. XXV. Et in hunc sensum accipio tot Dd. præ-  
 dicata grauisima, quæ præscriptioni immemoriali tri-  
 buuntur, veluti quod habeat vim tituli legitime acqui-  
 siti. Balb. *de prescript. P. II. part. princ. tert. qu. 6. n. 28.*  
 Maul. *de homagio tit. 19. n. 54.* non quod nouum titulum  
 præstet

præstet, sed quod ex lapsu tanti temporis inferendum sit, titulum idoneum olim adfuisse. Quo intuitu etiam dicitur pro se habere præsumptionem iuris & de iure Craueta *de antiqu. temp. P. 4.t.3.n.60.* rursus eo sensu, quod vetustas sola validissima probatio sit, ad ius demonstrandum. Et consequenter qui immunitatem tanti temporis habuit, sola illa vetustas habetur pro immunitate pacto acquisita Baldus *lib. III. conf. 313.* Et infinitum foret, omnia encomia huius præscriptionis referre, cum ipsa *vetustas* ingentes per se effectus producat, quos collegit Aymon Craueta *de antiqu. temp.* Eleganter vis huius præscriptionis exprimitur in *Ordin. Polit. Magd. c. 52. §. 3.* his verbis: So viel nun die præscriptionem immemorialem anlanget / weil derselben von vielen bewehrten Rechts-Lehrern die Kraft eines Tituls und erlangten Freyheit beygeleget wird / soll es auch dabey gelassen / und der Besitzer / welcher sich darin gründet und sie beweiset / dabey geschützt werden / es wäre denn daß derjenige / welcher ein Stück Gutes in Anspruch nimmt / erweisen wolte / daß es der Beklagte mit guten Grund und Glauben nicht besitze. Nihil conuenientius ad nostram sententiam dici poterat. Disponit augustissimus legislator, (I) præscriptionem immemorialem habere vim tituli & *immunitatis imperatae* h. e. non opus esse alium titulum allegare, quam solam vetustatem, ex qua præsumtio tituli iusti per se nascitur, veluti quod olim possessores fundorum, annuis redditibus obnoxiorum, immunitatem legitime impetraverint: (II) possessorem, illam ipsam probantem, absoluendum esse: (III) admittendam tamen esse probationem in contrarium: quamuis enim ex vetustate

vrgen-

vrgentissima oriatur præsumtio pro titulo olim legitime impetrato, hæc tamen exspirat, si probatio liquidisima in contrarium adsit. Quia tamen vrgentissima & fortissima præsumtio pro possesso est, non alia probatio hic admittitur, quam quæ sit *liquidissima*, & luce meridiana clarior *arg. l. 6. ff. de his qui sūi vel at. §. II. I. de inutil. stipul.* ibi: *manifestissimis probationibus.* Id quod si applicamus ad præsentem quæstionem, venditor redditum nihil euincit, si tantum *instrumentum venditionis annuorum redditum pro se adduxerit:* ex eo enim tantum probatur, olim venditum fuisse annum teditum, de quo non quæritur. Sed iam quæstio est de immunitate postea impetrata: hæc ex ipsa vetustate colligitur. Ergo venditor probare debet, possessores nunquam immunitatem obtinuisse. Est quidem hæc propositio negatiua, nihilominus tamen actor illam probare debet, cum præsumtio vrgentissima ei resistat, & ita onus probandi in eum deuoluat, quemadmodum etiam ipsa regula vulgatissima *negatiuum non posse probari, nec probandam esse,* falsissima est, vt ostendit Dn. Cocceius de directa probat. *negatiue.*

*Respondetur dissentientibus.* §. XXVI. Hisce præsuppositis, facile responderi potest dissentientibus, qui vrgent nequidem præscriptionem immemorialem in immunitate ab annuis teditibus probanda aliquid operari. Vid. Klock. *vot. Cameral. 132. n. 8.* Plerique decepti sunt falso conceptu præscriptionis immemorialis, existimantes, hac ipsa nouum ius acquiri, vt aliis præscriptionibus, in quem error haud incidisset, si termino *præscriptionis* haud essent offensi. Fateor, terminum hunc minus commodum, tantumq; a Dd. inuentum esse, cum in iure ciuilis accu-

accuratius dicatur *vetus* tanta, vt eius memoria non extet. Interim quia receptus est, eo merito utimur, hac tamen cum cautela, ne naturam præscriptionum ordinariarum ei tribuamus. Sane dissentientes, hac cautela neglecta, non potuere non a via aberrare. Afferunt enim annuos redditus esse plures, & singulorum annorum propriam præscriptionem, ex quo concludunt, ne quidem hic posse allegari præscriptionem immemorialem, cum singulis annis noua præscriptio currere incipiat, & ita etiam post ducentos annos adhuc continuet. Sed cum his facile transigemus, afferendo, annuorum reddituum diem singulis annis cedere non amplius posse, (loquor tantisper ex opinione dissentientium) vbi olim iam immunitas ab eis impetrata. Hanc, qui in præscriptione immemoriali se fundat, probat ex ipsa vetustate temporis, qua interim redditus non sunt soluti, nec exacti. Hac probata, professor absoluendus est. Vrgent quidem, omnem præscriptionem hic esse exclusam, & consequenter etiam præscriptionem immemorialem. Sed antecedens falsum esse, plenius iam afferui. Quin imo si vel maxime id admittamus, forsitan quod statutum in contrarium ad sit, quemadmodum in *Ord. Polit. Magd. c. 12. §. 7.* dicitur: **Ean durch keine Verjährung aufgehoben werden;** consequentia tamen falsa est, cum ex *c. i. de prescript. in 6. constet*, prohibita omni præscriptione, admitti tamen immemorialem. Aloysius Riccius coll. 778. ICti Argentorat. Vol. II. conf. 8. n. 60. & conf. 67. n. 15. quod etiam ex *Ordin. Polit. Magd. cit. l. §. 3.* non obscure colligitur, vbi huic præscriptioni tribuitur *vis impetrata immunitatis die Kraft einer erlangeten Freyheit.* Quid si hoc

F

hoc verum est, yti omnino est, frustra iam quæritur, an præscriptio immemorialis etiam exclusa fit. Imo nequidem excludi potest, cum vetustatis insignis hic effectus sit, vt olim iam impetratam esse immunitatem legitime præsumi debeat.

*A*n*interpel-  
lato extra-  
judiciale  
præscriptio-  
nem nullat.*

§. XXVII. Haec tenus assertum est, præscribi immunitatem ab annuis redditibus realibus posse, an vero præscriptionem hanc *interpellatio extrajudicialis* interrumpat, in quæstionem venit. Evidem constat, regulariter interpellationem extrajudicialem, quæ fit extra iudicium per denunciationem priuatam, effectus interrumpendi non habere; Struv. *ex 43. §. 28.* communiter tamen excipiunt actiones personales. Rauchbar. *P. 2. qu. 28. n. 32.* quibus debitum annuorum reddituum æquiparare posse videtur. Ast vtut de *personalibus* id admiriferim, *realibus* tamen hoc minime applicari potest, quæ magis *seruitutibus* æquiparantur. Sed instant, etiam ad incorporalium rerum seu seruitutum præscriptionem interrumpendam sufficere interpellationem extrajudiciale Struv. *cit. l.* Verum & hæc sententia dubia est, vt nec Struuius negat, & si vel maxime iuri conformis foret, vnicce tamen ad seruitutis acquisitionem, quæ mediante præscriptione fit, pertinet, vt nullis interpellatio acquisitionem impedire possit. Ast vero hic quæstio est de *amittendo iure* per *non-usage*, cui non facile hæc decisio applicari potest, sed sufficit, quod is, qui ius quoddam in re alterius prætendit, illud constituto tempore neglexerit. Neque enim tali interpellatione tertius b. f. possessor, qui iuste ignorat, tale onus rei suæ inhærente, statim in mala fide constituitur, cum etiam immunitatem præscribere possit,

fit, si vel maxime sciat, fundum suum esse obnoxium annuis reditibus. Constat id ex *l. 4. §. 27. de usurp. & usuc.* Si viam habeam per tuum fundum, & tu me ab ea expuleris per longum tempus **NON VITENDO** amittam viam vid. *Surdus conf. 234. n. 28.* Hieron. *Rocca select. iur. disp. c. 84. n. 10.* Solus non usus operatur immunitatem, non respiciendo vtrum alter sciuerit, onus rei suæ co-hærere nec ne? *Cynus in l. 2. C. de seru.* Alexander in *l. vlt. de eo per quem.* *Felinus in c. illud. de prescript.* Neque aliud dicendum est de iure canonico per *c.f. X. de prescript.* quia ius canonicum malam fidem non in nuda *scientia* collocat, sed tali, quæ coniuncta est cum *possessione rei alienæ*, h. e. quando quis *scienter* rem alienam possidet, quod in prescriptione immunitatis haud concurredit, ut erudite docet *Dn. Cocceius de finib. b. f. possess. in prescript. de iure canon.*

**§. XXVIII.** Ex hac tenus dictis facile iam iudicari potest de altera quæstione: An prescriptio mutari *An ipsius* possit quantitas annuorum reddituum? veluti si per 30. *reditus* vel 40. annos vendor minorem quantitatem accepisset. *quantitas* Negant id rursus omnes hi, qui omnem prescriptio-*prescriptio-* nem ordinariam hic excludunt. vid. *Gail. 2. obs. 73. n. 2.* ne mutari *Lyncker de annis reddit. disp. VIII. §. XI.* Ego vero ex possum.

supra adductis fundamentis contrarium assero, cum ratio diuersitatis hic allegari nequeat, & ita prescriptio-*censu*ne censu*augeri* & minui possit Nic. Chr. Lyncker *cent. 4. decisi. 303.* Vel si prescriptio statuto exclusa fit, immemoriam prescriptionem ad minimum admittendam esse censeo, cum ex lapsu tanti temporis colligatur, olim maiores redditus remissos esse.

**F I N I S.**


\* (44) \*

CLARISSIMO DN. RESPONDENTI,

S. P. D.

P R A E S E S.


Legisti eiusmodi thema, publicæ disquisitioni eruditorum exponendum, quod tum utilitate sua singulari se commendaret, tum etiam de industria tua publicum ederet testimonium. Vtrumque sane necesse erat, quia optime nosti, disputationes hodie non tantum scribi propter illum actum, quo publice contentiones amicæ de illis instituuntur; sed etiam in futuros, eorumque usus, qui subsidio iuris maxime indigent. Ita enim prohdolor! comparata est iuris nostri prudentia, ut multis opinionum incertarum procellis hinc inde feratur, & ita non raro, quamvis ex accidente, iis noceat, quibus professe debebat. Tu hoc ipsum hac dissertatione ostendisti, quo nomine tibi publice gratulor, simulque in votis habeo, veliter summum numen studiis tuis, & omnibus consiliis adesse, illaque dirigere in sui nominis gloriam & patriæ tuæ salutem. Vale Dab. die X VIII. Febr. M DCC XI.




99 4 6999



Vorlesung  
Fakultät  
09.2007 Bd.



**Farbkarte #13**



6  
14

TATIO IVRIDICA,  
DE  
**SCRIPTIO-**  
**IVORVM RE-**  
**M REALIVM,**  
Quam  
E MAGNIFICENTISSIMO,  
MO PRINCIP E AC DOMINO,  
**IPPO WILHELMO,**  
AE, MARCHIONE BRANDENBURGI  
MAGDEB. GVBERNATORE, & reliqua,  
EMIA FRIDERICIANA  
P R A E S I D E  
NNING. BÖHMERO,  
& Facult. iurid. Assessore,  
AVDITORIO MAIORI  
spic  
. A Febr. M DCC XL  
litorum examini submittit  
S GABRIEL HAACKE,  
Nordling:

HALAE MAGDEBURGICAE,  
OPH. ANDREAE ZEITLERI, ACAD. TYP.

B.I.G.